

exercitu meridionalis orae Urbes obsiden-
das suscepit; frustra nonnullas; quasdam
verò non poenitendo labore. Metuens igitur
Ezechias, ne quid sibi deterius con-
tingeret, statuit pretio soluto periculum
redimere. Numeravit proinde Regi 300.
talenta argenti, & 30. auri (u); sed nec
ingenti pecuniâ alter contentus, quan-
quam alioqui non majorem summam an-
tea exegisset, misso Rabface Regem ad
deditionem sollicitavit. Sed Isaias territum
minis Assyrii legati Ezechiam confirma-
tum, adjecta promissione de liberanda mox
à periculo Urbe, atque evacuanda ho-
sibus regione, re negata remittere Rab-
facem iussit (x). Oraculo sua fides; nam
occurrentem Sennacherib Tharace Regi
Chus, suppetias Ezechiae ferenti, Angelus
Domini noctis silentio exercitu exiit, ad
185000. Assyriorum trucidatis (y). Eâ cla-
de affectus Sennacherib, actutum Babylonem
sefe recepit, ubi ipso suorum filiorum gla-
dio interemptus est 55. diebus, postquam
Ninive revertisset.

Primo ejus belli anno Ezechias lethali
morbo correptus, nuncium futuræ mortis
ab Isaiâ non sine lacrymis excepit. Ejus
tamen dolore permotus Deus, Prophete
verbis renunciari egro iussit, se quindecim
annorum spatio ejus vitam prorogasse;
cujus vaticinii pignus acciperet in pro-
digio umbræ solis septem lineis receden-
tis (z). Ejus prodigii fama Babylonem
usque delata Regem Merodach-Baladan
excitavit, ut missis Jerosolymam Legatis
gratulatum veniret Ezechiae de impetra-
ta valetudine, simulque de veritate vul-
gati jam prodigii quaesiturus (*). Eâ le-
gatione Rex plus nimio sibi adblanditus,
& Legatos accepit honorificè, & indul-
gentiâ in ipsos quadam thesauros Regiæ
domûs omnes coram illis expandit. Rem
graviter tulisse Deum Isaias Principi ma-
nifestavit, simul denunciâns futurum, ut
divitiæ ipsius omnes in potestatem Baby-
loniorum venirent (a).

Occiso igitur parricidio Sennacherib,
sedatâ patrio sanguine filii Regno carue-
runt; coacti salutem suam in monti-
bus Armenia fugâ quaerere. Regno igitur
suffectus est Assaradon, alter ex ejus
filiis (b), Saragon, vel Sargon appellatus
Isai. 20. 1. Regnum ad 29. annos prorogatum
illustravit expeditione in Philisthaos; at-
que operâ Tarhani copiarum suarum Im-
peratoris captâ Azotho urbe illarum gen-
tium non infimâ (c), movit etiam in
Ægyptios, regionem Chus (d), & Idu-
maam (e), illatæ ab illos injuriæ in
Senacheribum patrem ultionem expetitu-
rus. Tandem captâ Jerosolymâ, ejus Re-
gem Manassem captivum deduxit Baby-
lonem (f); quamquam ejus expeditionis
tempus multò seriùs, quam priorum illarum
configuandum est. Tandem Imperium
Babylonicum antea distractum, deficienti-
bus ex genere Belesis hæredibus, sibi nec
sine armis vindicavit, quemadmodum ex
Isaiâ 23. 13. constat. Missos etiam scimus
ab eodem Rege Sacerdotes Domini ad in-
struendos Cuthæos, quorum coloniam Sal-

manasar in Samaritidem duxerat (g). Ma-
nasses è captivitate Babylonica eodem, quo
adductus est, anno redux, Jerosolymam ve-
nit (h).

Saofduchin post Assaradonem Regno suf-
fectus, 20. annis juxta Ptolemaum rebus
præfuit. Idem creditur, qui Judith 1. & c.
Nabuchodonosor appellatus est; idemque
qui post subactum Arphaxadum Regem
Medorum, nempe Dejoem, juxta Herodo-
tum lib. 1. cap. 102. universi sibi Orbis Im-
perii procurandi consilium agitavit. Misso
eâ de re Holoferne cum validissimo exer-
citu in Syriam & Palæstinam, cum eas
provincias brevi subactum iri autumaret,
consilio frustratus est. Namque obsidens
Bethuliam Holofernes neci traditus est, at-
que dissipatus fugatusque exercitus, juxta
ac in Libro Judith, non sine difficultati-
bus tamen alibi in examen revocandis, nar-
ratur (i).

Chinaladon, alio nomine Sarac, duo simul
Imperia, Assyrium & Babylonicum, post
Saofduchin habuit, cui nihil fuit, quan-
tum scimus, cum Judæis negotiis; sed bel-
lum contra Nabopolassarum Satrapam Ba-
byloniæ & Astyagem filium Cyaxaris Re-
gis Medorum sustinuit (k). Appellantur
duo illi Principes in Scriptura (l), Na-
buchodonosor, & Assuerus. Mutuo fœdere
conjugebantur ex nuptiis initis inter
Amyit filiam Astyagis, & Nabuchodono-
sorem filium Nabopolassaris. Horum igitur
copiis arcta obsidione conclusus in ur-
be Ninive Chinaladon, tandem & Impe-
rium & Urbem dedere coactus est. Ita
bipartitum iterum Imperium, cum Nabo-
polassar Ninive & Babylone, Cyaxares
in Media finitimisque provinciis regnaret.

S. II.

Imperium Chaldaeorum.

Nabopolassar ad Regnum evectum Na-
buchodonosorem filium suum in Sy-
riam & Palæstinam misit, cuius armis in
transitu præsidium Carchemise urbis ad
Euphratem, à Nechao Rege Ægypti reli-
ctum, deletum est (m). Producto dein-
de in Judæam itinere, captus Joakim filius
Josiae Regis Juda (n), non priùs dimis-
sus est, quam regionem tributariam face-
ret (o). Triennio victoris legem Joachimus
sustinuit. Dein ratus expeditionem in Ægy-
ptios & Assyrios mox parandam Regem
detinere, impostum jugum excussit. Sub
idem tempus contigit, immanem illam sta-
tuam ex variis metallis conflatam Nabu-
chodonosori per quietem demonstrari, cu-
jus mystici somni omen Daniel 2. 1. ...
46. explicavit.

Accitus igitur eâ occasione iterum in
Judæam Nabuchodonosor, ad urbem Jero-
solymæ cum exercitu successit; eaque ex-
pugnata perduellionis reum Joakimum oc-
cidit, atque vacuo Regno Joakin sive Je-
choniam, alio nomine Ceniam, imposuit.
Mox verò præstita in Judæos indulgen-
tiæ poenitens, amotum Jechoniam Baby-
lonem

u 4. Reg. 18. 14.

x 4. Reg. 19. 21. &c.

y 4. Reg. 19. 35.

z Vide 4. Reg. 18. & 19. & 20. Is. 36. & 37.

* 4. Reg. 20. 12. & 2. Par. 32. 31.

a Is. 38. & 39. & 4. Reg. 20. 12.

b Is. 38. 36. &c.

c Isai. 20. 1.

d Isai. 20.

e Isai. 34.

f 2. Par. 33. 11.

g 1. Esdr. 5. 2. 10.

h Usser. ad A. 3327.

i Vide Proleg. in Judith.

k Alexan. Po- lybist. apud Syncel. Vide Usser. ad A. M. 3378.

l Tob. ult. Dan. 20. 1.

m Vide Jerem. 46. 2. n 4. Reg. 24. 1.

o A. M. 3398. Hic statuendum exordium 70. annorum, captivitatæ à Jeremia 25. 1. 3. 11. 12. & 26. 1. prædictæ. Quo simul anno Daniel cum aliis pluribus captivus Babylonem deductus est. Daniel. 1. & Jerem. 25. 1.

lonem educi unâ cum parte Optimatum
& Civium ejusdem gentis imperavit. Suf-
fectus est tamen Regno atque Jerosolymæ
relictus Sedecias patruus Jechoniæ, An-
no 3405.

Secundùm hæc, Nabuchodonosor ne diu-
tius Babylone quietus maneret, certior fa-
ctus est, Phœnices, Syros, Ægyptios, Ara-
bes, Judæos excusso jugo rebellasse. Qua-
re statim Jerosolymam se conferens, expu-
gnare urbem aggressus est. Accepto verò
nuncio, auxiliares copias pro Judæis ab
Aprie Rege Ægypti, in Scriptura Pharaone
Hophra (p) sive Ephrae, deduci, arma
in illum vertit, atque pralio victor, juxta
vaticinium Jeremiæ loc. cit. iterum pro-
sequitur urbis obsidionem se consulit.
Biennii labore circiter tandem Jerosoly-
ma expugnata est A. M. 3416. simulque fu-
gâ dilapsus Sedecias, tandem captus in-
urbem Reblat ad Nabuchodonosorem rap-
tus est. Cùm miser coram Victore stetit-
set, coactus jugulatos ante se filios tristi
spectaculo sustinere, ac tandem ipse lumi-
nibus orbatus atque catenis oneratus, Baby-
lonem translatus est, ubi diem clausit extre-
mum. Jerusalem funditus everta, Templum
in cineres favillaque redactum, Optima-
tes in Transsephratæam deducti miserum-
rei humanæ spectaculum exhibuerunt. E-
gente florentissima viles tantum calones
sub Præside Godolia filio Abicam in pro-
vincia relictæ sunt (q). Sed Godolia de-
mum prodicione Ismaelis filii Nathaniæ oc-
ciso, reliqui populi pars in Ægyptum unâ
cum Jeremia sese recepit (r). Quod au-
tem remanserat populi, nonnullis post an-
nis à Nabuzardano Babylonem transferri
contigit (s).

A. 3519. nempe triennio post captam
Jerosolymam, obsidio Tyri à Nabuchodo-
nosore suscepta est; quam Urbem post 12.
annorum patientiam tandem decimo ter-
tio obsidionis anno expugnavit. Nec ta-
men totis illis duodecim annis ab aliis
bellis vacavit, cùm & movisset illum in-
Sidonios, Ammonitas, Moabitas, Idu-
mæos arma constet (t). Harum expedi-
tionum historiam frustra alibi querendam le-
gas apud Prophetas Jeremiam 43. & 44.
& 45. Ezechielem 26. & 27. & alios, ut &
Abdiam toto capite. Demum ab occupa-
tione Tyri liberatus Nabuchodonosor, arma
& desolationem in universam Ægy-
ptum intulit (u). Apries sive Ephraus
ab Adversariis interemptus (x), vacuum Re-
gnum amulo suo Amasi reliquit. Interim
Nabuchodonosor ingenti reductâ captivo-
rum prædâ, Babylonem reversus est.

Tot igitur instatus victoriis Nabucho-
donosor, ambitiosum illud cepit consilium,
ut Babylonem superbissimam Universi Ur-
bem redderet. Quare opera supra fidem
ingentia molitus ita se suspiciebat, quasi
supra mortalium omnium conditionem
ascendisset. Deus, ut elatos illos spiritus
pondere aliquo deprimeret, somnium capi-
enti per quietem ostendit ingentem quan-
dam arborem (a) mox succidendam.
Continuò verò Rex emotæ mentis factus,
integro septennio ad belluæ conditionem

redactus est (b). Tandem ad sanitatem
mentis revocatus, non diu post obiit anno
Regni 43. A. M. 3443.

Evilmerodach ad suprema evectus, Re-
gnum biennio, juxta Berofum, tenuit. Je-
chonix Regi Juda parcens, virum libertati
restituit (c). Post ejus obitum Regnum
ad Balthasarem filium devolutum est, cu-
jus tempore Daniel quatuor Imperiorum
successiones, & eventus omnes per visum
spectavit (d). Eâdem nocte, qua vasa Tem-
pli Domini prophanaverat, gravem in se
Dei manum expertus Balthasar interem-
ptus est (e); assumptusque ad Regnum
Darius Medus, alio nomine Astyages avus
Evilmerodachi (f). De Dario Medo nos
in articulo sequenti.

Antequam verò Nabuchodonosoris suc-
cessores relinquamus, operæ pretium est ani-
madvertere, Historicis prophanos neque in-
ter se neque cum Historicis Sacris satis in
ea re convenire. Megasthenes apud Euse-
bium Præp. lib. 9. cap. 41. statuit Evilmero-
dachum filium esse & successorem Magni Na-
buchodonosoris, simulque interfectum nar-
rat Neriglissoris fratris uxoris suæ proditi-
one. Neriglissor post occupatum 4. annis
Regnum, permisit Labassoarcho; isque pos-
tremus prodicione conjuratorum correptus
est. Dein assensu eorumdem conjuratorum
Nabonidus Babylonius, sive Nabonidoch
aut Labinith, juxta Herodotum, ex ipsis unus
ad Regnum evectus est. Porro vir iste
nullâ sanguinis affinitate conjunctus erat
cum Laborosoarcho sive Labassoarcho.
Cyrus Nabonidum bello victum cum in-
potestatem suam redegit, humanissimè
habitu in Caramaniam relegavit. Eadem
sed filius, narrat Berofus apud Josephum
contra Apion. lib. 1. pag. 1045. Interfecto,
ait ille, merito scelerum & crapularum
suarum post duos Regni annos Evilmero-
dacho successore Nabuchodonosoris, pro-
ditor ejus & uxoris frater Neriglissor Re-
gnum quadriennio occupavit. Huic jure
filii successit puer adhuc Laborosoarchochus
in quo sævæ & perniciosæ indolis appa-
rentibus indicis, conjuratione factâ post
novem annos Regni sublatus est. Regnum
deinde ad Nabonidum, à genere Regio
alienum, delatum, quocum anno Regni
ipsius 17. Cyrus Rex Persidis confligens,
secundo bello superior, atque devicto Re-
ge cum reliquis copiarum Borsippum con-
fugiente, Babylonem sibi jure victoriæ
adjecit. Eâ Cyrus potitus, statim exte-
rioribus moenibus, metu ne quid validio-
ribus munitionibus confidens auderet,
dejectis, rellâ Borsippum cum exercitu
contendit. Nabonidus sustinendæ obsidioni
imparem se ratus, victoris Cyri manibus
se committens misericordiam imploravit.
Nec frustra; cùm ab illo habitus humani-
ter, Caramaniam reliquæ vitæ sedem ob-
tinuit.

Omnia hæc nomina, tum & tempora
conciliari cum Historia Sacra atque Histo-
ricis de rebus Cyri agentibus, vix ac ne
vix quidem possent. Nec planè mirandum
est, si tanta hodie varietas apud Histori-
cos de rebus gestis ejusdem Principis appa-
reat,

b Daniel. 4. 32. 33.

c Jerem. 52. 31.

d Dan. 7. & 8.

e Dan. 5. 30.

f Dan. 5. 30. 31. Isai. 13. 1. &c.

p Jerem. 44. 30.

q Jerem. 40. 5.

r Jerem. 43. & 44. & 46.

s Jerem. 52. 30.

t Joseph. Antiq. 1. 10. cap. 11. pag. 345. & c. 25.

u Vide Ezech. 29. & 30. & 31.

x Jerem. 44. 30. Ezech. 32. 14. 20. &c.

a Daniel. 4. 7.

reat, cum jam inde ab aetate Herodoti (g), qui sane vetustissimus est ejusdem argumenti Historicus, ejusdem Regis gesta trisarie narrarentur. In tanta sententiarum varietate ipse se quod probabilissimum videbatur, elegisse professus est; sed numquid proinde veritatem tenuit? An forte illo posteriore aetate Megasthenes, & Berofus meliora prodiderunt? Omnia nos quae apud Autores veteres leguntur, afferemus in medium; conabimur deinde singula suo ordine digerere, atque certos quosdam historiae articulos eligere, omnibus assertos, neque Systemati Historico Scripturae repugnantes. Sed altius historie exordium repetendum est.

S. III.

Imperium Medorum.

Medi usque ad Sardanalum Syriae Principibus subiecti, post defectionem Arbace, atque coactum ab illo vitam sibi Sardanalum adimere, in libertatem, eodem agente Arbace, restituti sunt (b). Primus Author constituta Medorum Monarchiae 350. annorum spatium duraturae, Justiniano auctore, sive juxta Herodotum 150. tantum (i), is habetur. Post illum nuda quatuor Regum Mediae nomina, apud eundem Herodotum, scilicet Deioces, Phraortes, Ciaxares, & Astyages. Diodorus Siculus l. 2. decem recenset; Eusebius & Syncellus octo. Fatetur tamen Herodotus, Medos ante Regnum Deiocis liberos non exiguo temporis spatio mansisse. Porro Deioces & urbe Ecbatanis condita (k), & armis ad fluvium Halym usque provectis claruit. Regnasse fertur annis 53. Illum excepit Phraortes, adiectis Imperio Medorum Persis illustris; unde exordium coepit Regnum Medo-Persicum, de quo Autores nonnulli (l). Successit ordine Cyaxares, a quo capta Ninive auctumque dispendio Imperii Niniviti Medorum Imperium. Idem creditur cum priori Dario Medo apud Aeschylum. Filio Astyagi, viro in historiis celebratissimo, Regnum reliquit, qui sane Astyages alteram e geminis filiabus Amyti nuptui tradidit Nabuchodonosori magno; quo conjugio natus Evilmerodach Rex Babyloniae (m). Filiam alteram Mandanem duxit Cambyfes Rex Persidis (n), e qua natus Cyrus. Avus igitur maternus pari gradu fuit Astyages Cyri simul & Evilmerodachi. Caruisse filius Astyagem Justinus non obscure asseruit; sed Cyaxarem unicum filium suum illi tribuit Xenophon, Regni deinde successorem; quocum nos conveniamus oportet, ut historia Sacra cum Prophana concilietur.

h Justin. l. 1.

i Herod. l. 1. cap. 94.

k Herod. l. 1. c. 130.

l Vide Marfham. Can. Aegypt. Saecul. 18.

m Alexand. Polybist. Justin. l. 1. alij. que.

S. IV.

Persarum Imperium.

Cyrus Filius Cambyfis, dominationis Medorum pertesus, Persas in idem defectionis consilium una secum armavit; ductoque contra Astyagem avum suum maternum exercitu, Regem praelio victum vivum servavit, simulque donavit Hircaniae Praefectura, illud sibi in praemium victoriae capiens, ut Persas in libertatem, Medos tributarios redderet. Verum urbes Medorum jam Imperio subiectae, brevi Persarum jugum excutientes, arduum Cyro negotium effecerunt (o). Iis tamen reductis, arma vertit in Babylonios, quibuscum foedere junctus Cresus auxiliares copias ducens, victus fugatusque iter in suam regionem vertere coactus est. Quare Cyrus bellum Babylonicum persecutus, cum tandem omnia composuisset, expeditionem suscepit in Cresum, nec sane caeteris ipsius victoriis inferiorem. Hucusque Justinus: paria ferme Herodotus l. 1. c. 178. quanquam bello Babylonico praeverit expeditionem in Cresum, & in Lydiam. Adit insuper l. 1. c. 74. 77. Regnum Babyloniae tunc habuisse Labynithum; ac Cyrum levi quadam de causa adductum, Gindum annum in 360. canales dissipasse; quo tandem opere peracto, Babylonem cum exercitu venit, ubi praelio hostes fractos intra urbis moenia necessarii omnibus refertissima conclusit.

Cum itaque prorogari diutius obsidionem intelligeret, Euphratis aquas per expressos canales in lacus quosdam circumjacentis agri deduci jussit. Ita demum tranatu facilem annum reddens, per ejus alveum, & cataractas aquam in urbem deducentes, ipse cum exercitu interiora penetravit. Eo strategemate citra sanguinis dispendium in potestatem victoris venit Babylon, urbs illa soli vastitate amplissima, adeo ut exercitus hostium media illius tenens in extremis ejus angulis versantes cives lateret. Accidisse vero haec narrat Herodotus, qua die annuae cujusdam solemnitatis recurrentis Festum Urbem totam occupabat. Ita Herodotus, qui de Labynitho Rege Babyloniae nihil ultra prodit.

Xenophon pluribus adiectis Cyri historiam ornavit, quippe qui optimi Regis exemplar in Cyro tradendum potius quam texendam ejus Regis historiam sibi proposuerit (p). Apparet ille quidem historiam ex Herodoti fide tenuisse, cui plura de suo adjicienda censuit (q). Tradit Cyrum parentes habuisse Cambysem Regem Persarum, & Mandanem filiam Astyagis Regis Medorum; silet etiam qua demum ratione pupulus adhuc ille expositus, adhuc tamen fortunae beneficio servaretur, ac deinde ab Astyage avo agnosceretur. Illum enim 12. annis natum deductum ad aulam Astyagis una cum matre sua Mandane commemorat. Dein ad Cambysem Pa-

o Just. l. 1. Civitates Medorum, quae tributaria fuerant, mutato imperio, etiam conditionem suam mutatam arbitantes, a Cyro defecerunt. Quae ut multorum bellorum Cyro causa, & origo fuit.

p Cicero ad Quintum fratrem: Non ad fidem historiae, sed ad effigiem justis imperii. q Xenophon l. 1.

Patrem in Persidem rediit. Secundum haec, Astyage Rege Medorum vita functo, Cyaxares filius succedit. Porro neque de hoc filio, neque de regio titulo Cambyfi Patri Cyri donato, ne verbum quidem apud alios historicos.

Historiam suam prosequuntur Xenophon, addit l. 3. Assyrios Reges post prorogatum imperium in Syros, Arabes, & Hircanos consilium agitare coepisse de subigendis Medis, quos unice victoriarum suarum cursus potentia sua refranasse arbitrabantur. Hac subodoratus Cyaxares Rex Medorum, muniendum se duxit contra potentissimum adversarium, qui per se formidabilis vires etiam augere moliebatur, ad vocatis in societatem belli Lydis, Caribus, Phrygiis, Paphlagoniis, Indis etiam & Cilicibus. Cyrus aetate agens 40. annorum a Patre Cambyse cum 30000. Persarum milibus, arma cum avunculo Cyaxare junxit. Primum igitur bellum illatum in Regem Armeniam, quem victum amicum & foederatum Regibus Medorum reddidit (r). Pari etiam successu movit in Chaldaeos, quos cum Armenis reconciliavit; pari etiam cum Assyriis, quos priori praelio afflixit.

r Xenophon l. 3.

Rex ille Assyriae, de quo Xenophon, dabio procul habendus est Evilmerodachus, sive Balthasar; nullus enim tunc alius Assyrii Rex praefuisse poterat. Vix autem probabile credimus, quod de victoriis Regis Babyloniae in Syros, Arabes, & Hircanos, sicut & de suscepto consilio expeditionis in Medos, narrat. Dii enim antea Nabuchodonosor Imperio suo adjectas illas provincias hereditario jure ad filios transferebat, qui sane ne cogitasse quidem de augendo Imperio videntur. Quicumque autem fuerit movendi arma in Babylonios apud Medos causa, factum constat; nec sane minus creditur, Cyrum ab exercitu non abuisse; namque fatidico quodam effato, quod Nabuchodonosor aliquanto ante obitum suum tempore pronunciauit, hac potissimum referuntur: *Malus Persicus (Cyrus) veniet, qui durum cervicibus vestris jugum imponet. Atque hujus clavis auctor etiam erit Medus, quo ante Assyrii magnopere gloriabantur.* (s). Bellum hoc Medorum & Persarum in Babylonem non obscure exprimitur Isa. 13. & 14. & 21. & 45. & 46. & 47. sicut & Jerem. 50. & 51.

s Megasthen. apud Euseb. Praep. l. 9. c. 41.

t Xenophon l. 3.

u Xenophon l. 7.

x Xenophon l. 7. pag. 188.

ducta Euphratis aqua in fossas, opus Semiramidis diu ante Babylone regnantis; anni alveus tranabilis factus, exercitum hostium per cataractas in urbem admisit, quo die lata recurrentis anni solemnitas cives habebat occupatos. Rex Babyloniae in ipsa aula occisus est, eam exigentibus ab ipso ultionem injuriarum, quas sibi ab eo acceptas querebantur, Gadata & Gobria Babylonii, qui duo viri ea de causa a Rege deficientes ad Medos transferant. Urbis & adium omnium praeda militibus & Ducibus permessa; impositum Babyloniae tributum, & colendorum agrorum pensum; quicumque vero e Persis novam hanc sedem eligere maluissent, illi tamquam regionis domini ab incolis habebantur.

Tota ejus expeditionis gloria ad Cyrum spectat, auctore Xenophonte, apud quem nihil de Cyaxare, sive cum de bello Lydio, sive cum de Babylonico ageretur. Prodit solummodo, Cyrum post captam Babylonem, compositis omnibus in Persidem reducem, in Mediam ad invensum avunculum suum Cyaxarem venisse (y), a quo & oblata victori filiae connubia, & Media in dotem; carebat enim liberis Cyaxares. Cyrus avunculum amplectens, dixit habere se pro ipso paratas Babylone Regias aedes & satellitum, ubi & manere ipsi liberum, & Regem agere, siquidem voluisset, permetteretur.

y Xenophon l. 8. pag. 227. 228.

Verum, quidquid demum fuerit, an scilicet Cyaxares expeditioni Babyloniae interfuerit, sive non, illud constat ex Dan. 5. 31. successisse illum in Regno post Balthasarem; atque unicum totius ditioris Regem habitum; sicut & annum primum Darii Babylone componendum esse, cum tertio Cyri in Perside; quemadmodum ex cap. 9. & 10. & 11. Danielis intelligimus. Ex serie etiam ejusdem Propheta apparet, eodem anno Darii primo Cyrum excutienda servitutis consilium agitare coepisse; ut scilicet avunculo Dario succedens, duo Regna Medorum, & Assyriorum in se uno conciliaret. Vide Dan. 10. 13. Quamquam enim Cyrus Regium titulum in Perside obtineret, non ita tamen regnabat, quin alterum haberet supra se Regem; & prohibente Dario, Regis Medorum & Persarum titulum capere nunquam permittus est. Daniel. 6. 8. 12. 15. Nec a vero profusus abudere videtur, Cyrum in avunculum movisse, cui tandem aliquot post annis in Regno successisset. Daniel. 13. 65.

Quo primo anno Cyrus Babylone regnavit [12], Judaeos libertati restituit, quod ab illo datum genti privilegium, non pro Tribu Juda tantum, & Israel valuisse credimus, sed pro caeteris etiam populis a Nabuchodonosore caeterisque post illum Regibus in captivitate deductis; ejus nostrae opinionis documenta alibi afferemus. Aliquanto post Hebraeorum in Judaeam reditum, gentis illius adversarii Cyri relictum, gentis illius adversarii Cyri relictum, dolo extorserunt ab illo edictum, quo Templi edificatio interdicebatur (a). Quo genere mortis obierit, variorum narratione incertum est; morbo decessisse tradit Xenophon lib. 8. Supplicio X x x cru.

z 2. Par. 26. 22. & 1. Esdr. 1. 11.

a 1. Esdr. 4. 51.